



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

V. De Exequiis, & honore funeris, etiam paupertum: déq[ue] stipendio pro  
functione funebri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

benr Episcopi; quibus tunc parendum est: nam publica sepultura ritus est Religionis Christianæ, & honor Christiani defuncti, atque immortalitatis animæ publica professio. Consuetudo quibusdam in locis fert, vt Missa, præsentem corpore, ante sepulturam celebretur; eam tu obserua, si apud te recepta est. Non conuenit tamen Festis, præsertim solemnioribus, fieri Missam de Requiem, nisi Missa altera haberi possit de festo.

NVM: V.

*De Exequiis, loco sepultura, & functione funebri.*

**E**Xequias fieri, & corpus duci honestè, & decenter, sacrosque ritus obseruari, iuxta receptam tuæ Parochiæ consuetudinem, Christianæ pietati consentaneum est. Cauebis autem, ne nouæ consuetudines inducendo funere inducantur; multò etiam magis, ne quid, quod sapiat supersti-

L2

persti-

perstitutionem: eos, qui iure à sepultura Ecclesiasticâ non excluduntur, ne sepelias loco profano, nisi ex causâ graui, ad tempus. Si Medici corpus pertant ad Anatomiam, & illi, quorum interest, consentiant, permittes pro bono communi.

Turpe est, neque satis Christianum, pauperes mortuos nullo ritu sacro duci, aut proiici in locum non sacrum; & repugnat Rituale Romanum Pauli Quinti, his verbis: *Pauperes, quibus mortuis nihil, aut tam parum superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis sepeliantur, ac debita lumina, suis expensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, vel aliqua pia Confraternitas.* Profectò offenduntur nonnulli, cum vident pauperes nullo ritu efferri, & temerè abici, vel sordidè conquiri pro funere eleemosynas; adsit vnus saltem Sacerdos, qui breui prece leuiter humo tegat. Idem Rituale prohibet, ne Parochi, aliue Sacerdotes quidquam pro

pro functione funebri de pretio paci-  
scantur ; aut tanquam debitum exi-  
gant pro suo libitu ; sed iis eleëmofy-  
nis sint contenti, quas consuetudo, aut  
Ordinarius concesserit. Igitur ita te-  
geres : rogatus mortuum, nullâ pretii  
mentionem factâ , absq; molestiâ , aut  
tergiuersatione sepelies ; si ii, qui sum-  
ptus facere debent, id, quod consue-  
tudine , vel statuto Episcopi iustum  
est, non offerant, exigere poteris post  
aliquot dies funeris : si negent, expe-  
rire omnem aliam viam ; si neque sic,  
age iure coram tribunali Episcopi.

Hic verò etiam istud memineris,  
prohibitum sub graui culpâ , & panâ  
excommunicationis, ne Parochi ali-  
quem inducant ad promittendum,  
aut iurandum, se accepturum sepultu-  
ram in tuâ Ecclesiâ, aut quam antea  
elegisset, minimè mutaturum : adeò

in sacris auaritiæ sordes  
cauendæ.

L 3

NVM: